

Kreis

Paderborn

S. 150

Eilbertus, Abt von Breitenau (Kr. Melsungen), beurkundet den Verkauf eines Hofes zu Holthusen¹⁾ an das Kloster Hardehausen.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ei(1)bertus Dei gratia Bredennensis dictus abbas in perpetuum. Cum volubilitate temporum multoties elabatur rerum memoria praeteritorum. Nos igitur vitio talis incuriae cupientes sufficiens remedium adhibere, pagine praesentis apicibus agnoscendum declaramus modum contractus et conventionis, quam fecimus cum domino abbate Nicolao eiusque conventu in Hersvithehusen super venditione totius praedii nostri in Holthusen¹⁾ sub tali videlicet praetextu, ut caveremus ei de evictione cuiuslibet impeditoris eximeremusque idem praedium ab omni iure exactionis advocatae vel cuiuslibet hominis, quod et spondimus consensu domini Conradi Moguntini archiepiscopi. Data est igitur nobis in recompensationem huius rei a praedicto abbate taxata pecunia. Acta sunt haec anno dominicae incarnationis MCXCVI^o, indictione XIII. Huius rei testes sunt Eilbertus, Hernidus prior et custos, Widekindus hospitalarius, Wiemannus cellerarius, Albertus camerarius, Johannes, Harduggus conversi, Conradus, Gerlacus, Ludowicus et ceteri eiusdem ecclesie tam monachi quam conversi.

VII, 52^v. — Vergl. Schöne S. 98 unter Verweis auf Ms. I, 242 S. 25 im St.-M. Münster.

¹⁾ Holzhausen, Kr. Frilzar. Vergl. Landau, Hessengau 96.